



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

*Scytha* dicuntur apud Herodotum, quâ voce vtitur etiam sâpe Nafo. Addit Epitheton Herodotus *ἀγανάκτοτες immortales*, quia non putabant se mori, sed ad Deum suum Zamolxim transire; Ari-tianus lib. 1. exped. Alex. *ἀπαγανάκτοτας* nuncupauit. Suidas etiam suo tempore dictos Patzinacitas significat. Posterius & *Gepide* vo-cati, & regio *Gepidia*, primùmque *Gepandas* dictos, quæ vox *Tar-dum* sonat apud Gothos, quoniam & ingenio, & corpore tardi erant, inquit Iornandes; vel vt ait Cluuerius, quia longinquam militiam detrectarunt, & ad Venedicum sinum hærere malue-runt: postmodum tamen in Daciam transgressi sunt, inde fit, vt Procop. lib. 1. Γεπικὸν ἔθνος φαστοὺς Γότοις εἴησαν.

N V M. 2. *Quantitas.*

Dacos utramque Danubij ripam incoluisse, & ad Hænum montem extensos esse liquet ex Dione, & Mæsos etiam fuisse Dacas. Vnde intelliges quid dicatur à Poëtis, duplex, aut vterque Dacus. Eutropius ait Daciam decies centena millaria in circuitu tenere. Ptolemaeus eam cum Mysia iunctam quoad longitudinem extendit à flexu Boreali Danubij ad Pterum Prom. igitur ad 5000. stadiorum; latitudinem à Scodro monte ad Carpathum item montem, ac proinde ad 3500. stadia.

N V M. 3. *Qualitas.*

Quæcumque de Daciâ, & Mysiâ cecinit Poëta Tomitanus 3. de Ponto Eleg. 1. & 8. de campis sine arboribus, de Absinthiis pro herbis, de perpetuo frigore, sine ullo veris aduentu Poëticè dicta esse evidentur. Certè Solinus Mysiam Cereris horreum appellatam esse à Ro. tradit. Et verò quomodo Mysia alere potuisset quingen-ta hominum millia ex Daciâ traducta, ut dicemus in Politiâ.

N V M. 4. *Mores.*

COLLIGUNTUR ex Ouidio 5. Trist. Eleg. 7. Truci sunt vultu, voce ferâ, comâ & barbâ hispidis; accincti semper ferro proce-dunt, semper cum arcu, & sagittis veneno illitis. Nullis legibus se adstringi sinebant, sed ius ense sibi reddebant. Pellibus indui-

*Parall. Geogr. Tom. II.*

Nn